



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Rupertus Ep. 27. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

vita hujus lubrico fidens perituram insumit operam,  
nec advertit, quoniam vapor est ad modicum parens,  
Et vanitas vanitatum. S.Bern.in sent.

## S. RUPERTUS EP. 27. Martii.

**S**anguinem suum, quem ad Franciæ Reges Ducesque Hiberniæ referebat RUPERTVS, tum nobilem esse probavit, quando Vangionum Episcopus virginis servilem in modum per urbem casus, & in exilium est actus. Sed nobilissimo exuli dignum domicilium patuit, Bojaria. Huc evocatus in exilium inde superstitionem misit, & primus ferè Boiis patriam suam cælum ipse exul ostendit, regemque primò Theodonem, tum proceres, mox populum magno numero sacro fonte lustravit. Abhinc sedem & arcem sacrorum Juvaviæ (quæ hodie Salisburgum est) posuit, mox Cœnobium hic templumque D.Petro, alterum dein montibus, idque D. Maximiliano sacrum, velut præsidium sanctæ religionis imposuit, prodigiosi ignibus tunc nobile. Sub hæc in patriam magnis itineribus contendit, novasque auxiliares copias viros XII.adduxit, sui planè, ut aliud nihil dicam, simillimos. His adjuvantibus bellum sanctum, totam penè Bojariam Christo subegit, templaque velut propugnacula pietatis plurima passim extruxit. Inter hæc utique & pulcherrimum ornamentum patriæ, & firmissimum munimentum Aedes veteris Oetingæ numeratur, DEIPARA sacra; ut quando huic omnia se debere Boii factentur, multum profectò etiam RUPERTO debeat, qui Regionis tutelam, eam VIRGINEM inquam, princeps conciliavit. Obiit anno DC. XXVIII. fati sui certus & diei. Parentare lacrimis omnes

28. Mart. VITÆ S A N C T O R V M . 163  
omnes Boii, sed Angeli cantu festivo visi : illi sor-  
didati, hi candidati : ut nosses illos funeri , hos  
animi triumpho adesse. Ex Surio.

*Ad omnem temptationem, ad omnem tribulationem,  
ad omnem denique cuiusque modi necessitatem, aperta  
est nobis urbs configii ; sinus Matris expansus est, pa-  
rata sunt foramina petra, patent viscera misericordie  
Dei nostri. S.Bern. serm.7. Qui habit.*

S. G U N T R A M U S C . 28. Martii.

Qui Reges salvam majestatem , & regna sua  
volunt, rectè arces ædificant , & propugna-  
cula ; sed rectius iidem aras struunt templaque ; &  
ad stipendia optimos præsidiarios , egentes evo-  
cant. Inter hos meritò Regem GVNTRAMVM nu-  
meramus, pulcherrimum Galliæ lilyum, & meritò  
in Marianum hortum transplantandum. Regias  
hic gazas omnes, vel in sinum pauperum, vel tem-  
plorum adyta prodigus sparsit. Certavit verò cum  
GVNTRAMO D E V S , nunquam non victor, si de li-  
beralitate cum homine certamen sit. Et forte for-  
tunâ somno, ad quem à venatione fessum perstre-  
pentis rivuli susurrus invitaverat, aliquantum in-  
dulgebat. Hic, qui pro dormiente vigilabat, armi-  
ger , videt Dominum cum somno nescio quod  
animalculum proflare ; ei cùm pontem ense regio  
struxisset, aquas superavit, & proximo spelæo suc-  
cessit , paulò pòst viam eandem relegens ore de-  
nuò Regis se abdidit. Subinde hic evigilat , &  
somnium de reperto thesauro narrat. Sed & armi-  
ger subjicit , quæ vigilans somniaverat. Ergo in  
specum itur, & ingens auri vis eruitur , sed omnis  
iterum cælo, hoc est templis , & egenis transcri-  
benda. Quo factum, ut sicam eorum, qui parri-  
cidas